

omnium primo appellatur, sed merito reprehenditur a Samuel Coccejo in Comment. ad eumd. Grot. lib. 1, cap. 1, § 6, verum neque hoc sensu recte dicitur dominium Jurisdictionis, seu Imperii. Imperio enim utendi in nostra potestate non est, nisi quatenus id bonum publicum expostulet. Unusquisque potest proprium dominium dissipare, resque perdere. Princeps vero, licet alto dominio perfruatur super privatorum bonis, illa nequit distrahere, nisi in extrema Reipublicæ necessitate, ex qua sola limitata imperio utendi facultate manifesta ipsius cum dominio resultat repugnantia. Rot. cor. Tanar. decis. 57, n. 24. Cum itaque tantum inter altum dominium, et dominium privatorum intercedat discrimen, rectius appellari debet imperium illud quod gentes altum in Principes contulerunt ad universam tuendam Rempublicam. Ita Coccejus loc. cit. verb. *Majus est dominium.* « Immo non majus est, sed alterius generis: Nam quod Princeps dominio privatorum derogare possit, est consequens juris tuendi Rempublicam, ad cujus conservationem quilibet de suo tribuere tenetur. Repetendum hic est quod antea monuimus, tutius esse abstinere a voce domini, ubi de juri-bus Principum in subditos agitur, quia vox domini proprie non significat jus regendi, et conservandi, sed id quod directe contrarium est, nimirum potestatem consumendi, abutendi, et pro lubitu de re disponendi. » Rursus idem dissert. procem. ad eumd. Grot. 12, § 237. « Imperium est potestas proprio jure competens ad tuenda jura civitatis. Dominium est facultas domino competens de re sua pro lubitu disponendi. Ex jure Imperii igitur saltem facultas oritur tuendi, et conservandi personas, et res imperio subjectas. Ex dominio autem sequitur facultas etiam perdendi res, » et inferius § 629, n. 2 et 3. « Dominium, quod vocari solet eminentis, est vera pars summæ potestatis, quia Doctores voce illa nihil aliud intelligunt, quam effectum imperii, vi cujus Princeps jura subditis quæsitæ vel ob utilitatem publicam, vel in pœnam auferre potest. Negari tamen nequit vocem domini improprie admodum hic usurpari, quia ex sua natura facultatem abutendi infert, adeoque consultus est, voce illa abstinere, ac jus illud Principi asserere non vi domini eminentis, sed vi imperii legitimi, seu vi plenitudinis potestatis. Nulla autem ratione monstrum illud, vi cujus Principi permissum esse aiunt jura subditis quæsitæ pro lubitu tollere, ad objectum imperii referri potest: pugnat enim hæc opinio cum essentia summæ potestatis, quæ unice in tuendo jure consistit. » Ita etiam Wolfius, Jus Gentium § 329, in not.

Secundo, non recte dicitur dominium proprietatis. Ubi enim distinguimus dominium, inspicienda sunt dominiorum genera, non species, quæ sub eodem genere continentur. Porro « Dominium est genus, quod plures species seu formas quodammodo complectitur, adeoque dicitur dominium pro-

prietatis, dominium ususfructus, quod etiam proprietas reddituum nuncupatur, dominium possessionis, dominium usus, dominium servitutis, dominium actionum. Cæterum dominium nihil aliud est, quam proprietas. » Guadagni Comment. in instit. jur. civ. lib. 1, tit. 1, derer. divis. § 55, ubi in notis multa ex allatis declarat et illustrat. Insuper dominium est attributum hominis qui dominus appellatur; proprietas vero attributum rei quæsitæ quæ propria dicitur. Guadagni l. c. Vin. Partit. jur. lib. 1, cap. 68, § circ. fin.

Rectius igitur in tria genera humanum dominium distinxisset. I. Dominium politicum, quod proprie potestas, et imperium appellatur. Galvan. dissert. de Usufruct. cap. 25, n. 1, de quo satis supra. II. Dominium OEconomicum, quod, vivente adhuc patre, habent filii, qui in potestate sunt, et dominium etiam jure familiæ dicitur a Galvan. loc. cit. sed dominium tantum in spe est, quod nullam actionem tribuit, late Guadagni l. c. in not. ad § 53, n. 8 et 9. III. Dominium singulorum de quo proprie hoc loco disputandum erat. Vide Guadagni ubi supr. § 53.

Hoc singulorum dominium dividitur in plenum et minus plenum, ut monet Auctor. Plenum quod adnexam habet proprietatem; minus plenum quod a proprietate separatum est. Dominium minus perfectum rursus dividitur in directum et utile. Hæc posterior divisio inventa fuit a Bart. in leg. *Si quis vi 17, § Differentia* num. 5, ff. *de acquir. vel amit. poss.* et a quamplurimis inde secuta; sed Cujac. Observat. lib. 1, cap. 35, de Feud. lib. 1, in princ. lib. 2, tit. 9, et ad leg. *In rem 24, ff. de rei vindicat.* et Donello Comment. de Jur. civ. cap. 14, in fin. non placet, eo quia generi, quod dividitur nullo modo conveniat. Ob commodiorem tamen docendi rationem, cum in foro recepta sit, tolerandam esse existimant Ger. Noodt. ad tit. ff. *de divis. rer. § Postrema rerum.* Heinec. In Pandect. 2, § 79, in not.

Aliam, quam utiliorem vocat Heinec. in Pand. part. 2, tit. 1, § 81, domini divisionem tradunt doctores veri nempe, et ficti. Verum est quod a veritate facti dependet, nobisque competit in re corporali reapse acquisita. Fictum vero a Prætoris fictione proficiscitur, qui interdum aliquem usucepisse fingit, quamvis adhuc non usuceperit, ut si quis a non domino, quem tamen esse dominum putabat, rem aliquam ex justa causa acceperit, veluti emptione, donatione, etc., sed nondum ab ipso usucapta sit vel quod tempus ad id requisitum transactum non fuerit, vel ob aliam similem causam, Guadagni. Instit. jur. civ. lib. 2, tit. 1, § 58, in not.

Postrema, quæ a Doctoribus assignatur domini divisio, speciem potius domini dotis in naturale, et civile respicit, quam ipsius domini genus. Naturale dicitur quod in re immobili in dotem data censent Interpretes, constante matrimonio, uxoris esse, ut eadem ipsa soluto matrimonio restituatur:

Civile vero quod in eadem re immobili maritum habere existimant. Dubitatur tamen an dominium fundi inæstimati in dotem dati in maritum potius quam in uxorem transferatur. Communiter affirmant in maritum transferri, sed hac habita distinctione, ut si non fuerit æstimatus, vel tantum æstimatus ut de ipsius quantitate, et qualitate constaret, tunc transire quidem dominium, sed civile tantum, et revocabiliter in maritum, irrevocabiliter vero si talis æstimatio appareat, ut commode pro venditione haberi possit, et tunc non modo civile, sed et naturale in maritum transfertur. Ita sentiunt Brunem. in Pandect. lib. 23, tit. 3, l. 75. Voet. in Pandect. lib. 23, tit. 3, n. 19. Marcell. ad tit. Instit. *Quibus alienare licet* § 1. Harpprect. ad princ. ejus. tit. instit. num. 22. Pichard. ibid. n. 10, in fin. Fondanel. de Pact. nupt. claus. 6, glos. 1, part. 3, n. 18. Rot. cor. Seraphin. decis. 201, n. 28, post Merlin. de Pignor. dec. 39, n. 1, in recent. decis. 91, n. 1, part. 8, decis. 20, n. 4, part. 13, decis. 34, num. 29, part. 17. Alii vero sentiunt dotis etiam inæstimatæ verum et absolutum dominium esse maritum. Cujac. Observat. lib. 10, cap. 32, in comment. ad leg. *In rem 24, ff. de rei vindicat.* et in comment. ad tit. *C. de jur. dot.* Joh. Robert. Controv. lib. 3, cap. 9. Vin. ad princ. Institut. titul. *quib. alien. lic.* num. 2, et alii relati a Guadagni. Instit. jur. civ. lib. 2, tit. 1, in not. ad § 59.

ARTICULUS II.

Dominium quoad ejus subjectum et objectum.

(1. De fide est Deum esse rerum omnium creatarum vere, et proprie Dominum, idque non solum per essentiam, sed etiam titulo creationis, et gubernationis. Et patet expresse ex pluribus Sacræ Scripturæ locis; Judith enim 9, dicitur *Dominus totius creaturæ.* Sapient. 12. *Omnium Dominus,* et alibi: *Dominus universorum.* Et Genes. 2, hujus domini redditur ratio cum dicitur: *In principio creavit Deus Cælum et Terram;* et Esther. 13, *Tu fecisti Cælum et Terram.* (2. Christus ut homo fuit Dominus absolutus, et directus universorum, quantum ad jus, et potestatem. Sic communior Doctorum sententia, et patet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. Psalm. enim 8, dicitur: *Omnia subjecti sub pedibus ejus.* Ad Hebræos 2. *Omnia ei subjecti, nihil dimisit non subjectum ei;* et ideo Apocalyps. 19, *Dominus dominantium;* et de facto Matthæi 21, intraturus Jerusalem præcepit Christus discipulis, ut adducerent asinam, et pullum, inquiens: *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet.* (3. Angeli habent Dominium proprie dictum solummodo suorum actuum liberorum; rerum autem inferiorum, et corporearum non habent proprie dominium, sed solum potestatem gubernativam a Deo delegatam. Quia Angeli non possunt disponere de iis rebus tamquam suis, et in suum commodum, quod proprium est domini, sed solum de manda-

to Dei, ut Ministri Regii provincias, et Urbes, homines, eorumque res gubernant in ordine ad eum finem a Deo intentum; quod ipsum potest vocari dominium saltem jurisdictionis late sumptæ; hinc in Scriptura Domini, et Principes Regnorum appellantur, ut præsertim Daniel. 10, num. 13, ibi: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, et uno diebus;* Et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum; et ibid. num. 17. *Quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo?* Et sic in re communiter Doctores.

(4. Inter has creaturas inferiores solus homo est domini capax, ita ut omnes res corporeæ inferiores, videlicet agri, montes, flumina, plantæ, metalla, bestię, etc., cadant sub dominium hominis: Sic communis, et patet clare ex illo Genes. cap. 1. *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjugate eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus Cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.* Hæc autem omnia sunt objectum domini humani, seu cadunt sub dominio hominis, ut etiam habetur ex Psalm. 8, ibi: *Omnia subjecti sub pedibus ejus* (inferiora scilicet), *oves et boves,* etc. (5. Unus homo licite acquirit, et habet dominium in alium hominem, quo ad ejus opera, et servitatem personalem. Est communis, et patet ex Genes. 20. Exod. 21 et 1, ad Timoth. 6, ibi: *Quicumque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* (6. Dominium servitutis in alium hominem potest homo acquirere quatuor modis, seu titulis; scilicet titulo nativitatis, via emptionis, ratione delicti, et jure belli. (7. Primus modus, scilicet titulo nativitatis, habetur ex l. *Partum,* Cod. *de rei venditione,* ubi statuitur, quod partus sequatur ventrem, id est conditionem matris, adeo ut, non considerata conditione patris, ex serva nascatur servus, et ex libera liber. Hinc ad Galat. 4. Agar serva Abraham eidem in servitute generasse filios non liberos dicitur. (8. Secundus modus, scilicet via emptionis, patet clare, quia cum homo sit suorum operum, suæque libertatis Dominus, potest urgente fame, aut alia justa necessitate, se ipsum in perpetuum vendere, sicut potest famulus, aut ancilla ad tempus se alteri locare; Hinc S. Paulinus Nolanus Episcopus, ut filium viduæ a servitute liberaret, se ipsum servituti subjecti, et hoc ex Scriptura Sacra licitum supponitur; Exod. 21, Levit. 23, et Deuter. 15. (9. Tertius modus, scilicet ratione delicti, patet manifeste, quia sicut propter delicta potest aliquis vita, sic etiam libertate privari per modum justæ pœnæ, prout in cap. *Ita quorundam 6, de Judæis* ab Alexandro III, statuitur, ut Christiani deferentes arma ad Saracenos, aut in eorum navibus piraticis regimen, aut gubernationem exercentes, servi fiant capientium et hujusmodi pœna propter alia delicta statuitur in l. *Si manumissus, C. de libertis, et eorum liberis,* in § *Maxima* Institut. *de capitis diminutione;* et in cap. *De raptoribus 36,* quæst. 1. (10. Quartus mo-

duus, scilicet *jure belli*, aperte liquet, quia qui in bello justo capitur, fit capientis servus. Hinc 1 Petri 2, dicitur: *A quo quis superatus est, hujus est servus*; nam quos victores possent licite occidere, possunt etiam morte in servitutem commutata, servare, et a servando dicti sunt *servi*, sicuti et dicuntur *mancipia*, quia manu capiuntur. Hæc tamen servitus locum non habet inter milites Christianos, apud quos consuetudine immemorabili ab omnibus Principibus observata introductum est, ut capti Christiani non fiant servi, sed pretio soluto in præmium victoris redimantur.

(11. Homo non habet Dominium vitæ suæ, sed istud remanet penes Deum, hinc homo est solum custos, et usufructuarius vitæ suæ, non autem Dominus: habetur clare ex Sapientia 16, ibi: *Tu es Dominus, qui vitæ, et mortis habes potestatem*. Et quamvis Ecclesiast. 23, dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit in manu consilii sui, posuit ante eum vitam, et mortem etc.* hic tamen textus intelligitur communiter de libertate eligendi non vitam, et mortem naturalem, sed vitam, et mortem accidentalem, ac spirituales, gloriæ vel pœnæ. (12. Habet tamen homo Dominium omnium actuum suorum liberorum, etiam interiorum, immo et supernaturalium, ut gratiæ, virtutum etc. Est communis. Et ratio est, quia potest homo pleno jure libere uti omnibus dictis actibus tamquam rebus suis, et in suum commodum, potestque illos ponere, vel non ponere; sine gratia quidem nunquam operabitur supernaturaliter, sed ipsa recepta, adhuc liber est ut agat, vel non agat, physice loquendo. (13. Homo est etiam Dominus propriæ libertatis; est etiam communis. Et ratio est, quia homo potest ea pro suo arbitrio frui, et non frui, aut si velit, potest ipsam vendere, et se servum constituere; ut patet ex dictis supra num. 8. (14. Homo est pariter Dominus propriæ famæ, et honoris; est etiam communis. Et ratio est, quia homo famam suam, et honorem libero arbitrio acquirat, sicut alias res, adeoque sicuti est Dominus aliarum rerum, quas proprio labore acquirat, ita et famæ, et honoris. (15. Nequit tamen homo licite tantum bonum prodigere sine causa, et maxime quando ex fama se infamantis pendet fama, ac infamia alterius, vel aliorum, sicuti ex fama, vel infamia Religiosi pendet fama, ac infamia Religionis, vel Ordinis; et per hoc in cap. *Nolo* 12, quæst. 1, ex verbis S. Augustini. sic dicitur: *Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo: qui fidens conscientie suæ negligit famam suam, crudelis est, etc. Non sunt audiendi* » 11, quæst. 3, ex verbis ejusdem sic dicitur: *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra; et ne fama et honor sine justa causa prodigatur, cavetur Ecclesiastici 41. ibi: Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi, et magni.*

(16. Discussa capacitate Domini competentem cuilibet homini jure naturæ, examinanda venit capacitas Domini competentem

variis personis ratione status; unde uxores habent Dominium, et administrationem bonorum Paraphernalium, dotalem vero, et medietatis communium Dominium quidem, sed non administrationem. Est communis. Vid. verb. *BONA*, art. 4, ubi late de bonis Paraphernalibus, Dotalibus, Contradotalibus, seu antiphernalibus, communibus, et propriis conjugum. (17. Filii familias adhuc sub patria potestate constituti habent verum Dominium, plenamque administrationem bonorum Castrensium, et Quasicastrensium; Adventitiorum vero Dominium, non administrationem; Profectitiorum autem nec Dominium, nec administrationem; Est communis. Vide verb. *BONA* art. 4, num. 38, ubi late de bonis Castrensibus, Quasicastrensibus, adventitiis, et profectiliis. (18. Religiosi solemniter professi, cujuscumque sint Religionis, sunt in particulari penitus incapaces omnis Domini, ac juris bonorum temporalium, ita ut nemo eorum quidpiam suo nomine, seu tamquam proprium possit tenere. Est communissima, et habetur expresse cap. *Cum ad Monasterium* 6, de Statu Monachorum. ibi: *Prohibemus quoque districte in virtute obedientiæ, et sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat.* » et infra: *« Quod si proprietates apud quempiam inventa fuerint in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilino subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. »* Et tandem in fine sic concludit: *« Nec æstimet abbas, quod super habenda proprietates possit cum aliquo Monacho dispensare. »* Et Concil. Trident. sess. 23, cap. 2, de Regul. sic statuit: *« Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel retinere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. »*

(19. Dicitur notanter *Religiosi solemniter professi*, quia Novitii retinent Dominium bonorum suorum; Immo etiam illi, qui in Societ. Jesu, finito biennio probationis emittunt tria vota substantialia, sed simplicia solum Paupertatis, Castitatis, et Obedientiæ, adhuc retinent Dominium bonorum suorum, quamvis eo Dominio licite uti non possint sine consensu Superioris propter votum simplex paupertatis, juxta Constitutionem Gregorii XIII, incip. *Ascendente Domino*. (20. Dicitur etiam notanter bonorum temporalium, quia per votum paupertatis Religiosi non renuntiant bonis spiritualibus, et omnino omnino juribus, cum jurium, et honorum spiritualium possint Religiosi habere Dominium, vel quasi Dominium; retinent enim Religiosi jus honoris, ac famæ suæ ex Divo Thoma 2, quæst. 186, articulo 7, ad 4. Item jus suffragii activi, et passivi, jus suscipiendi alimenta, et vestimenta, de bonis communibus Monasterii, et jus Domicilium habendi intra Ordinis Monasteria, vel hujusmodi. Est communis, ac certa.

(21. Religiosi professi cujuscumque Ordinis (excepto Ordine FF. Minorum de Observantia, et Capuccinorum) possunt in communi habere dominium bonorum temporalium. Est communis ac certa habetur expresse ex Concilio Tridentino sess. 23, cap. 3, de Regularibus ibi: *« Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis tam Virorum, quam mulierum mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci Capuccinorum, et eorum, qui Minores de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. »* Et colligitur etiam ex Extravag. *Exiit qui seminat*, de verb. Significatione in 6, ubi Nicolaus III declaravit tamquam aliquid particulare bonorum mobilium, et immobilium Dominium non competere Fratribus Minoribus, etiam in communi, sed Papæ; ergo supponit Communitatibus aliorum Religiosorum competere. (22. Hoc tamen Dominium competens dictis Religiosis in communi non est omnino liberum, et independens, sicuti est Dominium sæcularium; quia sæculares possunt libere disponere de rebus suis, Religiosi autem nequeunt alienare bona immobilia, vel etiam mobilia pretiosa, nisi ex justa causa, et servatis debitis juris solemnitatibus, atque assensu Summi Pontificis; quod si secus fiat, alienatio est nulla, et irrita, et tam sic alienans, quam sic alienata suscipiens incurrit pœnam excommunicationis ex Extravagant. *Ambitiose, de rebus Eccles. non alienand.*

(23. Clerici Beneficiati non habent dominium portionis fructuum, quæ honestæ sustentationi superfluit, et ideo nisi illam in pauperes, aut usus pios expenderit, peccant mortaliter contra justitiam, et tenentur ad restitutionem. Est communis omnium Canonistarum, ut dicit Navar. tract. de redditibus q. 2, quibus consentiunt plurimi Theologi recentiores, immo omnes antiqui, ita ut dixerit Major Professor Parisiensis, « ante ipsius ætatem nullum tenuisse contrarium, » et Paulus Comitulus dicit, « contrariam opinionem esse novam, ac periculosam post mille et quingentos annos in Christi Ecclesiam invectam; » Archidiaconus Canonista celeberrimus in c. *Statutum*, § *Assessorum*, de rescriptis in 6, dicere non dubitavit, contrariam opinionem esse Juris hæresim; Petrus Sotus in tractatu de Vita Sacerdotum, in principio dicit: *« Contrarium credimus errorem gravissimum saltem contra bonos mores, et justitiam, quidni etiam contra Scripturam. »* Et nostra conclusio ostendit auctoritate Sacrorum Canonum, Conciliorum, et SS. Patrum, qui dicunt redditus Ecclesiasticos superfluos honestæ sustentationi Beneficiatorum, esse bona pauperum, seu Ecclesiæ, atque adeo furtum, et Sacrilegium admitti, quando in usus profanos expendantur. Canones præcitati sunt sequentes; c. *Quia* 8, c. *Episcopus* 23, c. *Res Ecclesiæ* 26, caus. 12, qu. 1, c. *Apostolicos* 13, c. *Quisquis* 16, caus. 12, qu. 2, c. *Pontifices* 3, caus. 12, qu. 3, cap. *Revertimini* 63, c. *Decima* 66, cap.

Quoniam 68, caus. 16, qu. 1, cap. *Fraternitatem* 2, de donationibus; cap. *Cum ex eo* 34, de election. et electi potest. in 6. Concilia præsumpta sunt: Aquisgranens. 1, cap. 116, Agathen. cap. 16, Carthagenens. cap. 46, et alia. Sancti Patres præcipui sunt S. Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Fulgentius, Bernardus, Thomas, Raymondus, Antoninus, et alii, quos omnes cum suis sententiis, et Jurium textibus adducere nimis oblongum esset, Vid. verb. *BENEFICIATUS* art. 1, per tot. et signanter a num. 38, usque ad finem, ubi abunde probata remanet hæc nostra sententia; et solum hic adde auctoritatem Divi Laurentii Justiniani lib. de Institut. et regimine Prælatorum cap. 4, sic expresse dicens: *« O quanta abusio, Christi ditari divitiis, et Christo nihil velle dare! nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? Unde temporalia sunt Ecclesiis prærogata? nonne propter Christum? nonne ut Christi pauperibus erogentur? Noli igitur tu, qui possides, retinere quod alienum est, ne furti deprehendaris in causa: »* et aliam clarissimam auctoritatem D. Bernardi in Epistol. 2, sic loquentis: *« Quidquid præter necessarium victum, simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, sacrilegium est, rapina est. »*

(24. Sunt tamen Clerici Beneficiati domini portionis fructuum Beneficii, quæ ad congruam ipsorum sustentationem necessaria est, adeoque possunt pro suo libitu de illa portione disponere in usus honestos, v. gr. donando, legando, dando consanguineis, vel aliis ea, quæ parce vivendo in victu, vestitu aliisque congruis impendiis subtrahunt, vel reservant, quod licite expendere potuissent. Est communis. Et ratio est, quia illa pars bonorum necessaria congruæ sustentationi Beneficiati tamquam jam ad usum pium expensa, pleno Dominio ad ipsum spectat; ita ut libere, ac licite possit de illa disponere tamquam de re sibi applicata justo titulo sustentationis debite; Sicut enim Miles sæcularis fit Dominus stipendii sibi concessi, ita et miles spiritualis; Tum quia ideo Clericus fit Dominus acquisite portionis per ministerium Clericale, id est per Missæ celebrationem, per Conciones, per Confessionum exceptionem, per cantum, et hujusmodi, quia sunt justa merces, et stipendium laboris; sed ita est de portione præfata, ergo etc. Vid. verb. *BENEFICIATUS* art. 2, per tot. ubi multa ad rem facientia.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(25. De materia hujus articuli ita paucis disserit Samuel Coccei dissertat. præm. ad Grot. 12. lib. 4. c. 3. § 244. et sequent. « Subjectum, inquit, domini sunt Homines ratione præditi. (26. Unde dominium acquirere non possunt bruta, infantes, furiosi, summe ebrii etc. Deficit enim animus sibi tenendi. Objectum sunt res corporales, quæ in proprietatem venire possunt, mobiles, et immobiles, non vero res incorporeales, nec jura universitatis, nisi quatenus corpori coherent, nec res natura communes. »

(27. De mari, an illud esse possit subiectum domini, quæstio est, quæ suos hinc inde habet Auctores. Confer. Grotium, Seldenum, Jonstonum, Burgum, Welvodum, Pontanum, Graswinckelium, Puffendorium, Huberum, Jacobum Gothofredum, Bœclerum, Van-Bynkerhoek, Christ. Thomasium, aliosque.

ARTICULUS III

Dominium quoad modos ipsum acquirendi.

(1. Dominium rerum tribus modis acquiri potest, scilicet Jure naturali, seu gentium; Jure Civili, atque Canonico: Jure particulari, privati alicujus contractus, seu conventionis. (2. Jure naturali, seu gentium acquiritur dominium rerum, quæ nullius sunt. (3. Jure Civili, atque Canonico acquiritur Dominium rerum, quæ quidem alicujus sunt, sed præfixo per leges, et Canones tempore possidentur. (4. Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis acquiritur dominium rerum, quæ sunt alicujus tamquam domini, et possessoris, sed in alium transferuntur per donationem, venditionem, aut alium contractum. (5. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium multipliciter, scilicet Occupatione, Alluvione, Specificatione, Accessione, Confusione, Commixtione, et fructuum Perceptione.

(6. Jure naturali, seu gentium acquiritur rerum dominium primo per Occupationem, ratione cujus res illæ, quæ nullius sunt, fiunt primi occupantis, textu expresso in § *Fera*, Institut. de rerum divis. ibi: « Ferae igitur bestiae, et volucres, et pisces, et omnia animalia, quæ mari, cælo, et terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, Jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. » (7. Hinc licitum est quælibet animalia ferina, et silvestria, nondum ab aliquo comprehensa prosequi, et capere, ita ut statim fiant capientis, ubicumque capiantur. Idem est de illis, quæ ex Domini potestate elapsa in pristinam libertatem redierunt; lib. 2. Institut. de rerum divis. cit. § *Fera*. (8. Capientes autem animalia in leporariis, vivariis, stagnis, sylvis non amplis, et circumdatis, non acquirunt eorum Dominium, sed tenentur restituere, cum adhuc habeant proprium Dominium. Est communis. (9. Ita etiam animalia domestica seu naturaliter mansueta, sicut et ferina mansuefacta, quandiu redire solent, non sunt primi occupantis, etiamsi longe aberraverint, sed sunt Domino competenti restituenda; lib. 2. Institut. tit. 1. § *Pavonum* 15. et § *Gallinarum* 16.

(10. Quando duo, vel plures ad occupatio-

(1) Non modo communis non est Auctoris opinio superius tradita, sed omnino opposita sententiæ Justiniani § *Illud* 15 de rer. divis. « Alii vero putaverunt non aliter tuam esse, quam si eam cepis. Sed posteriori sententiæ nos confirmamus, quod multa accidere soleant ut eam non capias, » et ita sentiunt contra Trebutii sententiæ, Grot. de Jur. bell. et Pac. l. 2. c. 8. § 3. circ. fin. Ibi que

nem concurrunt, v. g. unus feram vulneravit, et alter eam cepit, tunc si fera fuit vulnerata lethaliter, et percussor eam insequens moraliter certo erat ipsam capturus, ipse vulnerans acquirat dominium et consequenter si ab aliquo capiatur, est restituendus; quia tali vulnere lethali jam censetur ipsam cepisse. Est communis. (11. Si vero fera, aut avis sit ita leviter vulnerata, ut adhuc fugere possit, tunc si alius eam fugientem capiat, est ipsius capientis, quia naturalem libertatem non amisit. Sic Doctores communiter. (12. Si autem dubium foret, an qui vulneravit ratione talis vulneris esset capturus, nec desiisset prosequi feram vulneratam, tunc de æquitate esset dividenda inter vulnerantem et capientem, tamquam duas concausas acquisitionis feræ, secundum proportionem concausalitatis; Laym. l. 3. de just. tract. 1. c. 5. num 12. Henn. tom 2. de just. et jure tract. 3. disp. 4. qu. 1. conclus. 1. resolut. 2. Sporer et alii passim.

(13. Eadem ratione si quis animal vagum insequatur, et illud in retia alterius incidat, tunc uterque habet jus illud capiendi; unus quia retibus suis deprehensum est, alius quia sua opera, et industria incidit unde de æquitate est inter ipsos dividendum secundum proportionem concausalitatis. (14. Si piscis reperitur ita inextricabiliter implexus in retibus alicujus piscatoris, ut nullatenus possit evadere, acquirat statim ejus dominium; unde si alter ex ejus retibus ipsum eripiat, tenetur ad restitutionem; secus autem est dicendum si piscis adhuc poterat se eripere ex illis retibus, quia tunc fiet prius apprehendentis, eo quod defectu sufficientis apprehensionis nondum piscator censebatur illius Dominus; de æquitate tamen est piscatori aliquid concedendum juxta proportionem industriæ, et probabilitatis prædæ capiendæ. Ita Doctores passim.

(15. Quando apes ex proprio alveario ita volant, ut illarum reversio, vel apprehensio desperetur, tunc licite possunt a quolibet apprehendi, etiamsi forent in fundo prioris domini, quia sicuti avis nidificans ad parietem domus alicujus non est sua, ita nec examen apum in fundo alterius existens censetur suum, cum jam evolando nativam libertatem recuperaverit. Est communis per jura mox citanda. (16. Si autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, maxime si ipsum apertum retineat etiam ad hunc finem; l. 3. § 3. ff. de acquirendo rer. Domin. et l. 3. § *Item feras*, de acquirenda possessione, et Institut. de rerum division. § *Apium quoque*.

(17. Res incertæ, quæ scilicet habent dominium, sed ignoratur quis ille sit, ut sunt

Samuel. Coccei. vers. *Atque ideo vulnerasse*, idque licet fera lethaliter vulnerata sit. Harppreit. ad § 15. n. 85 instit. de rer. divis. Perez. hoc tit. Cum enim res, quæ nullius est, dominium apprehensione tantum acquiratur, hinc feræ fugientis adhuc dominium acquisivisse nemo dici potest, qui spem tantum capiendi habet. Duaren. de acquirend. rer. Domin. c. 2. t. 2. p. 544, coll. 1, in fin. (EDIT. BARBIEL.)

res casu amissæ, atque ab altero inventæ, aut quæ in periculo naufragii projectæ fuerunt in mare, et postea ad littus evaserunt, non cadunt sub dominio primi inventoris, seu primi occupantis, sed qui eas invenerit, obligatur eas restituere veris Dominis si eos dignoscere possit, et tenetur ad dominos illos dignoscendos moralem diligentiam adhibere eoque majorem, quo res perditæ, et ab alio inventa majoris est momenti. Est communis, et ratio est clara; quia ille qui amisit ejusmodi res, seu pecunias, earum dominus esse non desinit, cum autem unaquæque res reddi debeat domino suo, stat clarum ipsum inventorem teneri illas reddere propriis dominis, textu expresso in c. *Si quis* 6. caus. 14. q. 5. ubi ex verbis S. Augustini sic dicitur: « Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti; » et in c. *Multi* 8. ead. caus. et q. ubi ex verbis S. Hieronymi sic habetur: « Multi sine peccato putantesse, si alienum, quod invenerint, teneant, et dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat. »

(18. Res, seu pecuniæ incertæ inventæ, si post diligentem inquisitionem non compareat earum Dominus, sunt ad pium usum, seu in pauperes applicandæ, nisi ipse inventor pauper sit, quia tunc posset sibi reservare in toto, vel in parte, considerata quantitate rei inventæ ac inopiæ suæ; Sic S. Thomas 2, 2, q. 66, art. 5. Scotus in 4, dist. 15, q. 2, ad argumenta; S. Antonin. Cajetan. Abbas, Paludanus, Silvester, Covarr. Navar. Valent. Medin. Turian. Lessius, Filiuc. tr. 32, n. 85. Medina tom. 3, tr. 2, disp. 764. Vasquez de restit. c. 5, § 4, n. 43, ubi dicit pro hac sententiâ stare omnes Auctores excepto uno Soto; Reiffenstuel. Theol. moral. tract. 7, de just. et Jur. dist. 3, q. 1, n. 8. Sporer tom. Tract. 4, n. 110, quam sententiâ Card. de Lugo tom. 1, disp. 9, sect. 12, num. 139, dicit esse veriore, Layman. lib. 3. tract. 1, c. 5, n. 24, vocat piam, et tutiorem, Castropalao putat in praxi sequendam; et sic tenent alii plurimi. Et ratio est, quia res seu pecuniæ inventæ sciuntur esse alicujus, nec eorum dominium amisit, qui eas perdidit: ergo si ipsimet domino restitui non possunt, restitui debent juxta ejus voluntatem præsumptam; atque in eo casu rationabiliter debet præsumi, quod voluntas Domini sit, ut pauperibus, atque aliis piis causis applicentur, quatenus quod ei corporaliter restitui non potest spiritualiter restituatur; et quod ipsi non potest prodesse temporaliter, prosit saltem æternaliter. (19. Nec obstat, dicit Card. de Lugo l. c. quod Dominus sit mortuus, et forte damnatus; nam in hoc casu debet respecti voluntas hæredum, ad quos talium rerum, seu pecuniarum Dominium est devolutum, qui præsumuntur velle offerri saltem pro se prout magis expediet. Nec etiam obstat, quod

(1) E. R. Auctores hic citati in rebus moralibus cum plerisque n. 19 citatis, non sunt comprobandi; nec sola nomina ejusdem sunt ponderis, et valoris

tales res, seu pecuniæ inventæ possint esse alicujus infidelis, seu hæretici, cui æternaliter nihil sint profuturæ; quia ut dicit Molina l. c. nulla est gens tam barbara, quæ non putet eleemosynas esse bona opera; et si re ipsa a Christianis dentur pauperibus, actus dantis, et oratio pauperis potest prodesse cuivis etiam infideli. (20. Tum quia a Summis Pontificibus sunt concessa privilegia variis Ordinibus, qui etiam sub excommunicatione possunt compellere detentores talium rerum, seu pecuniarum inventarum, ut eas sibi tradant pro redemptione captivorum, seu pro aliis piis usibus; ergo signum est deberi pauperibus, vel ad pias causas. De dictis privilegiis vid. Castrop. de Just. part. 19, et Haunoldum tom. 5, a. n. 31. Et de facto Catechismus Romanus par. 3, c. 8, n. 16, sic statuit. « Si rerum inventarum Dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda. »

(21. Nihilominus si Dominus non reperitur post factam diligentem inquisitionem, Sotus, Ledesma, Sa, Sarmiento, Navarra, Mendo, Escobar, Diana p. 1. tr. 8, R. 12, dicunt inventorem posse retinere sibi res, seu pecunias inventas, quam sententiâ Platel. p. 3. n. 728, dicit non esse improbabilem, Amic. Tambur. Dicastill. l. 2. tom. 2. dist. 9. n. 491. Burghaber. cent. 1. caus. 69. Illi tom. 4. d. 2. num. 259. vocant probabiliorē, Lessius, Malder. Med. Aragon. Lopez, Salas, Henric. Rodriq. Lugo l. c. n. 139. Sporer l. c. n. 183. agnoscunt probabilē, Laym. loc. c. et Castropal. de justitia p. 19. num. 4. dicunt esse valde probabilem, Diana par. 2. tom. 3. R. 5. vocat in praxi tutam, Haun. tom. 5. n. 26. defendit, speculative probabiliorē, et tamquam in praxi securam (1).

(22. Si res inventa fuerit derelicta, fit inventoris, qui primo occupat; l. 1. ff. *pro derelicto*. Res autem habetur pro derelicta, quando Dominus ita se gerit circa illam rem, ac si eam amplius non curaret ut propriam, ejusque Dominium negligere censeatur, utpote qui vel tam procul recedit, vel verisimile sit eum nunquam reversurum, vel si revertatur, rem tamen non petiturum, maxime usu consumptibilem; aut si prope est, tamen cum possit recuperare, rem non inquit, nec repetit, et recuperare negligit. Est communis, et habetur § *penult.* Inst. de rer. divis. (23. Si res inventa sit de illis, quæ nunquam Dominum habuerunt, ut insula in mari nata, gemmæ et lapilli in maris littore, sit primo occupantis; quod enim ante nullius est, naturali jure occupanti conceditur; l. *Adeo* § *Insula*, ff. de acquirendo rerum dominio. (24. Merces et quævis alia bona reperia in littore maris aut fluminis post naufragium non sunt primo occupantis, aut fisci, sed domino restitui debent; leg. *Navigia*, Cod. de furtis. Est communis Doctorum, et ratio est, quia Dominus rei suæ dominium non

ac sint auctoritates Sanctorum, Catechismi Romani, atque rationes. Vide Cuniliati Trac. 9. de 7. Decal. Præcepto, cap. § 9. n. 2. (EDIT. BARBIEL.)